



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXVII. De eadem materia instrumentorum super earum forma probante, vel non probante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

Discrepantia itē inter annū, & indictionem, suspicionem inducit in concursu aliorum adminiculorum confiderabilem, quamvis ipsius indictionis omiffio non adeo præcisè necessaria sit, quod tamen ex stylo loci decisionem recipit, *Royt. pragu. 2. de Notar. Rot. in Placentina nullitatis professionis 31. Martii 1656. coram Albergato Coccin. decis. 1479. repetit. dec. 430 par. 5. rec. num. 89.*

In dubio autem pro exclusione falsitatis est respondendum, atque in concursu argumentorum eis, hinc inde conuassatis, firma remanet veritas instrumenti: *decis. 279. num. 43. & seq. par. 9. rec.*

De eadem materia instrumentorum super eorum forma probante, vel non probante.

## S V M M A R I V M.

- 1 Niso discursu agitur solum de forma probante instrumenti.
- 2 Distinguntur inspectiones.
- 3 Notarius debet probari ab eo, qui pretendit, quod instrumentum sit publicum.
- 4 Antiquitas temporis, an & quid in hoc operetur.
- 5 Probatio Notariatus quando non sufficiat, nisi alie accedant qualitates in Urbe.
- 6 Quid in statu Ecclesiastico extra Urbem.
- 7 Et de Notariis creatis auctoritate aliorum Principū conscientibus instrumenta in Urbe, vel Statu Ecclesiastico.
- 8 De instrumentis rogatis extra dictum Statum, qua deducantur in Curia per Notarios Apostolicos.
- 9 Quid de rogatis per Notarios creatos per Principem vel Dominum illius loci.
- 10 An Notarii creati auctoritate Principis secularis possint conficere instrumenta, & acta in causis, & rebus ecclesiasticis, & spiritualibus, vel beneficiatibus.
- 11 Quid dicendum sit in aliis Principatibus, & ditionibus.
- 12 In Regno Neapolitano non deferretur instrumentis rogatis per Notarios Apostolicos.
- 13 Declaratur in quibus rebus, & causis eis deferatur.
- 14 An & quando deferatur instrumentis eorum, qui verè non sint Notarii.
- 15 Quid in Urbe, quare in ea non intret ista questio, & an & quando intret regula l. barbarius.
- 16 Cūnam incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam Notariatus.
- 17 De forma vel solemnitate originalis matricis, & quando ista dicenda sit talis, necne.
- 18 De mense, anno, & aliis, an requirantur in matrice.
- 19 Quod non sit immorandum in sola formalitate verborum.
- 20 De circumstantiis qua debent attendi, ad inspiciendum an sit matrix originalis.
- 21 De prothocollo eiusque diversis speciebus, & de prothocollo ordinato.
- 22 De alio prothocollo constato ex matricibus originalibus.
- 23 De differentiis inter unam speciem, & alteram prothocolli.
- 24 Que solemnitates debeant esse in matrice, & que in publico.  
*Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.*

- 25 Annus, & dies debent poni per extensum, non autem per abacum.
- 26 De testibus, & de iudice ad contractus in instrumentis Regni Neapolitani.
- 27 An in matrice requiratur subscriptio Notarii.
- 28 Quod commendabile sit subscribere.
- 29 Quod testes & clausula unius instrumenti possint deferri pro alio.
- 30 De requisitis instrumenti publici ultra ea que sint in matrice.
- 31 An signum & subscriptio Notarii requirantur copulative.
- 32 De requisitis instrumenti publici in forma probante in Regno Neapolitano.
- 33 Quando etiam ibi dicta requisita non adhibeantur.
- 34 De copia an probet, & quando ei deferatur.
- 35 An forma legum laicalium debeat servari in instrumentis, qua serviunt pro foro Ecclesiastico.
- 36 Laudatur cautela, ut Notarii creati ab uno Principe, curent etiam creari à Papa, & ab aliis Principibus.
- 37 De materia extractionis, vel reassumptionis instrumenti ab originali Notarii mortui.

## DISC. XXVII.

EA quæ in precedenti discursu habentur, percutiunt casum, in quo instrumentum habeat in reliquis formam probantem, adeo ut nulla cadat questio, super eius veritate, & authentica forma de facto, sed solum super veritate de iure, ob vitium scilicet falsitatis, vel alterationis, de quo oppositor, vel impugnator objiciat; In præsentem autem, agitur de ipsa forma probante, vel authentica, quam altera Pars neget, ita impugnando substantiam instrumenti, eiusque veritatem de facto, quod scilicet scriptura censeatur informis, ideoque ad sufficientem probationem non apta.

Id autem pro clariori resolutione, in plures distinguendum est inspectiones; Primò nempe ubi proveniat ex defectu legitimi notariatus eius, qui instrumentum confecit; Secundò ob non interuentum requisitorum, quæ in instrumento publico ab initio desiderantur, quia nempe eorum defectus sit etiam in matrice; Et tertio circa requisita necessaria super ipsius publici instrumenti extractione, vel reassumptione, ab originali, ut debitam formam probantem habeat.

Quatenus itaque pertinet ad primam inspectionem, super notariatu; Regula est, quod ille probari debet, per eum qui in instrumento se fundat, atque ex eo suam deducit actionem, vel exceptionem cum non omnis scriptura, quæ instrumenti publici faciem, vel formam habet, sit instrumentum, sed solum illud, quod per publicum Notarium confectum sit, ob publicam fidem, vel auctoritatem, quæ ei tribuit Princeps vel alter, qui ex principis auctoritate notariatum contulit; ideoque ista qualitas est fundamentum intentionis *Mench. lib. 2. præsumpt. 81. Buratt. dec. 492. Bich. decis. 223.*

Ab isto autem onere eximit solum antiquitas temporis, quæ ad hunc effectum illa dicitur, quæ sit centum annorum, vel circa pro iudicis arbitrio, vel facti qualitate, quoties copulative duo verificentur; Primò nempe quod scriptura habeat faciem instrumenti; Et secundò quod accedat observantia, sine qua generaliter solus lapsus temporis, nullam facit operationem, *Gregor. & add. decis. 2. & 38.*

*Buratt. & add. decis. 667. decis. 78. post Merlin. de pignor. decis. 368. par. 13. rec. Royas decis. 483.*

Probatione autem notariatus accedente, quia nempe de eius privilegio, vel creatione conflet, ea sola non sufficit, nisi etiam accedat illa qualitas, quae pro locorum, vel ditionum legibus, vel stylis desideratur, ideoque certa regula generalis cuicumque loco vel casu applicabilis desuper non cadit, cum à singulorum locorum legibus, vel stylis id pendeat; Praesertim verò in Curia cum ea proceditur distinctione, quod; Aut agitur de instrumentis confectis seu rogatis in Urbe, & tunc non sufficiat notariatus ipsamet Apostolica auctoritate directè collatus, si ve ex eadem mediata, ab iis scilicet, qui ex Apostolica concessione facultatem habent creandi Notarios, ut (ex. gr.) est Collegium Prothonotariorum participantium, nisi etiam accedat descriptio in Archivio Collegii Scriptorum, ac etiam quaedam alia specialis approbatio concurrat, *decis. 119. par. 4. rec. tom. 2. decis. 61. par. 8. & sub tit. de testam. disc. 33. & in supplemento.*

Aut verò agitur de reliquo statu ecclesiastico; & tunc pariter requiritur notariatus Apostolica immediata vel mediata auctoritate collatus, ac etiam dicta descriptio in Archivio, quoniam, licet illa archiviatio, quae demandatur per quasdam antiquas Apostolicas Constitutiones, in desuetudinem abiisset; Attamen moderno tempore, innovata fuit, atque necessaria reputatur, *ut dicto tit. de testam. in supplemento in Romana hereditatis de Celsis.*

Illi verò Notarii, qui aliorum Principum auctoritate creati sint hanc facultatem non habent, extra territorium illius Principis, nisi facultas tribuatur per eos, ad quos ex Apostolicis provisionibus pertinet; Ex ea congrua ratione, quod Princeps, officium, vel publicam fidem, sua auctoritate conferre potest, in proprio territorio, vel ditione, non autem extra *Gabr. de fid. instrum. concl. 1. cum aliis sub tit. de Regal. disc. 148. & alibi.*

Ubi autem agitur de reliquis Orbis catholici communicabilis partibus, à quibus pro causis contentiosis, vel etiam pro actibus, & negotiis voluntariis, publica instrumenta ad Urbem transmittantur, & tunc; Aut illa rogata sunt per Notarios, qui Apostolica auctoritate creati sint, atque in dicto Archivio descriptio, & de plano admittuntur, absque necessitate legalitatis Ordinarii loci, vel alterius publici Magistratus, circa qualitatem notariatus, cum ea de facili justificari possit in continentia ex dicta descriptione in Archivio; Unde propterea necessaria solum reputatur recognitio subscriptionis, & signi; Et ad quem effectum instrumenta muniti solent, praedicta legalitate Ordinarii loci, vel Nuncii Apostolici, aut alterius publici Magistratus, & sine qua legalitate, recognitio etiam fieri potest, ac solet, per testes habentes notam manum, & signum, cum facultas in scripturis publicis, quam in privatis ista species recognitionis admittatur, *Gregor. & add. decis. 38. Buratt. dec. 878. decis. 53. par. 13. rec.*

Aut verò agitur de aliis Notariis, qui creati sint auctoritate Principis laici, vel alterius ab eo potestatem habentis; Et tunc pariter defertur, quoniam sufficit, ut ille sit Notarius publicus in loco creatus ab eo, qui talem auctoritatem habeat, dummodo serventur solemnitates, quae ex eiusdem loci legibus, vel stylis servari debent, ut infra advertitur in alia inspectione, super forma vel solemnitate.

Cadente quaestione, an Notario creato cum au-

thoritate Principis secularis, deferendum sit, in causis, vel actibus ecclesiasticis, vel spiritualibus; Puta (ex. gr.) pro frequentiori contingentia, ubi agatur de instrumento adeptæ possessionis beneficii vel factæ publicationis literarum Apostolicarum ad formam Constitutionis Gregorii XIII. cum similibus; Et quamvis de stricto jure, negativa probabilior esset, ex deficiente potestate creandi Notarium, illi; dandi fidem in iis, quae sunt extra eius jurisdictionem; Attamen ubi agitur de actibus voluntariis, atque assilat usus loci, adhuc huiusmodi instrumenta sufficientia reputantur, *Buratt. decis. 318. & 688.*

Verum improbari solet usus Notariorum qui seculari potestate creati sunt, in causis ecclesiasticis vel spiritualibus, contentiosis, nisi quatenus Ordinarius, vel alter ecclesiasticus superior illum deputet, cum tunc ex ista potius auctoritate tale munus explere dicatur, dum quandoque, commendabiliter etiam ipsi ecclesiastici Iudices, vel superiores, aliquem probatæ fidei Notarium saecularem loci, tanquam peritum, pro libito tamen voluntatis, non autem ex necessitate assumunt, *Velleg. in prax Vicar.*

In aliis verò ditionibus vel dominiis extra Curiam Romanam, de qua hucusque actum est, certa regula desuper statui non potest, quoniam (cum praemissum est) totum pendet à singulorum locorum legibus, vel stylis, quibus in hoc est deferendum; Praesertim verò in Regni Neapolitani laicalibus Tribunalibus, quando agatur de instrumentis confectis extra Regnum, proceditur (ut etiam ubique procedi videtur) cum superius insinuata regula, quod scilicet sufficiat notariatus collatus cum auctoritate proprii Principis loci.

In illis autem instrumentis, quae fiant in dicto Regno, non defertur nisi Notariis, quia Regia auctoritate creati sint, etiam negative ad illos, qui Apostolica auctoritate creati essent; Quamvis enim quoad istos aliqua peculiaris ratio in puncto juris adesse videretur; Adhuc tamen id non sufficit, ideoque instrumenta rogata per Notarios Apostolicos, inter laicos habentur tanquam scriptura rogata, *Rovit. pragm. 2. de contrahibus.*

Secus autem ubi instrumenta confecta sint, inter clericos & personas ecclesiasticas, quamvis deinde cum successoribus saecularibus, seu alias contingat de illorum observantia in Tribunalibus laicalibus disputari, *Rovit. ubi supra.* Sive ubi agatur de Tribunalibus fori ecclesiastici, in quibus Notariis Apostolicis absque dubio defertur, *ibidem.* Et in summa, in hoc, totum facere videtur observantia.

Agendo itaque de observantia, vel praxi Curiae Romanae; Defertur instrumentis rogatis per illos, qui non sint Notarii, sive alia non habeant requisita ut supra, quoties id non agant nomine proprio, sed vice, ac nomine praepositi, qui sit indubitanter probatæ fidei Notarius, cum omnibus requisitis; Ut in iis contingit qui per Notarios Auditoris Camerae, seu fori Capitolini assumuntur in eorum adiutorium, atque Substituti, vel Juvenes dicuntur, quamvis enim per Apostolica decreta disponatur, ut isti quoque Notarii esse debeant; Attamen si secus fiat, redarguendus quidem erit Notarius, qui tali muneri personam minus idoneam praeponat, non tamen exinde resultabit infectio actus, qui sub eiusdem Notarii publica fide fit initus, cum Partibus id innotescere non valeat, ipsaque, non illius Juvenis praepositi, sed domini praepositi fidem sequi dicantur, *tit. de testamen. disc. 33. & in supplemento in casu de quo supra num. 6.*

Secluso

Secluso verò isto casu; In instrumentis quæ fiant in Urbe, non cadunt quæstiones, quæ cadere solent in illis instrumentis, quæ fiant in partibus, super communi scilicet fama & reputatione, vel possessione notariatus, & cui nam incumbat onus probandi eius affirmativam vel negativam respectivè, quoniam stante dicta necessitate descriptionis in Archivo, de facili, ex eius inscriptione, seu revolutione justificari potest negativa, quæ rectè probari dicitur ex revolutione vel inspectione illorum librorum, in quibus affirmativa perneesse contineri debet; *Burratt. & add. dec. 20. & 264. Mantie. dec. 34. & 287. Cavalier. dec. 110. & 535. tit. de Regal. disc. 14. 47. & 81. & sapius & infra disc. 34. & 37.* Idemque respectu aliorum locorum, in quibus eadem vigeat ratio seu prohibitio.

Ubi verò ista necessitas non urgeat, tunc cadere solet quæstio, super validitate actus ratione communis reputationis ex dispositione vel ratione textus in *l. Barbarius &c.* Verum nimium rarum est id ad praxim reducere, ob tot requisita, quæ desuper à DD. desiderantur, *eod. tit. de testam. in supplemento in nullus Sancti Edicti & in alius. Pacian. de probat. lib. 2. c. 21. Rovit. prag. 1. de Notar.* Plenè tamen suffragari solet quasi possessio notariatus ad effectum transfundendi onus, in instrumenti impugnationem, probandi negativam ratione præsumptionis, quæ à quasi possessione resultat; Vel ut præsumptiones & adminicula ad huiusmodi probationem sufficiant, quoniam ubi præsertim aliqua temporis diuturnitas accedit, atque agitur de notariatu incidenter ad hunc effectum, an publico instrumento per ipsum edito deferendum sit, nec ne, etiam præsumpta seu adminiculativa pro facti qualitate admittatur, attendita præsertim qualitate præiudicii exinde resultantis, ad quod magis, ac principaliter videtur reflectendum.

Altera est inspectio, super forma, vel solemnitatibus necessariis, in ipso rogitu, vel celebratione actus, ad effectum ut dicatur actus publicus, ex quo publicum instrumentum ad, seu reassumi valeat, adeò ut sit solemnitas, vel forma, quæ adesse debeat etiam in ipsa matrice, vel originali imbreviatura, utpote denotans substantiam, vel perfectionem actus, atque ut ita dignoscatur, quod sit originalis super rogitu jam sequuto, & non minuta vel scriptura preparatoria, quæ inter fasciculos vel filzas Notarii præsertim desinèti reperitur.

In hoc autem non de facili certa regula generalis statui potest, quoniam ut dictum est, agatur de scheda seu folio volanti reposito inter fasciculos, vel filzas, non autem de codice seu quinterno, qui prothocollis nuncupatur, tam scilicet ad effectum denotandæ perfectionem actus, quam etiam ad alterum certitudinis, & in exolutionem suppositionis quam aliquando fieri praxis docuit.

Quamvis etenim, desuper considerari soleant ea, quæ sunt publici instrumenti requisita necessaria, vel substantialia, ut sunt annus, Mensis, Dies; Clausula actum cum expressione loci; Ac etiam testes in eo numero, qui pro qualitate actus requiratur; Puta in testamentis septem; In codicillis vel donationibus causa mortis quinque, Et in actibus inter vivos duos, nisi leges particulares loci, quibus deferendum est, diversimodè disponant. *Mantie. dec. 3. Burratt. decis. 456. 265. & 543. & 666. Rovit. pragm. 2. de Notar. Capic. L. ar. consuit. 69.* Attamen ista sunt requisita, necessaria quidem, in ordine ad validitatem ac perfectionem actus, qui aliàs invalidus, ac imperfectus diceretur, quamvis reperitur formiter extensus in prothocollo, seu quod aliàs constet

quod sit originalis; Sed in ordine ad distinguendum seu certificandum, an sit originalis, vel minuta, est quidem argumentum probabile, non autem concludens per neccesse, cum aliquando soleant Notarii anticipatè omnia præmissa adnotare, cum præsupposito, quod illic, super jam conclusis inter Partes, rogitus, vel actus stipulationis sit sequutus, quod postmodum ex aliquo accidenti non sequatur; Ut præsertim praxis docere solet, quando agatur de testamentis conficiendis per graviter infirmos, qui longum fastidium, seu longam moram plurium personarum in aula, pati non possunt, quoniam Notarius; Vel à se ipso, quia testator substantiam voluntatis prius ei communicaverit; Vel ad dictamen illius, cui dicta communicatio sequuta sit, ut præsertim ubique frequentius cum Advocatis, in Urbe verò frequentius cum procuratoribus, sequi solet, totum prius extendit, ad effectum, ut solum quo brevius fieri potest, ipse Notarius, coram ipso testatore, qui verbis vel signis approbet, dicat coram testibus in compendio quid in ea scriptura contineatur quando sit nuncupativum nuncupatione explicita; Vel quod faciat actum consignationis schedulæ, quando sit cum nuncupatione implicita, *tit. de testam. pluribus.*

Atque hinc sequitur, (ut sæpius in suis materiis advertitur,) quod irrisione digni sunt illi Judicantes, vel Consulentes, qui pro interpretatione voluntatis, totam, vel magnam vim constituunt in sola formalitate verborum, vel clausularum, vel in qualitate orationis.

Ac propterea his stantibus resultat, ut alia consideranda videantur perfectionis actus adminicula, vel argumenta, pro facti qualitate, attendita præsertim consuetudine, seu stylo Notarii, comprobato ex aliis originalibus, quæ non dubitetur esse talia; Nec non ponderato modo custodiæ, cum aliis, quæ prudenti arbitrio ponderanda videantur; Et præsertim, si Notarius esset solitus conficere formatum, beneque ordinatum prothocollum, in quo adessent alia originalia, quoniam pro affirmativa vel negativa, nimum prodest, vel respectivè nocet, an illa scriptura de qua sit quæstio, reperitur benè ordinata & collocata cum aliis, cum ordine numerico, seu abachali, *vide supra.*

Item in ordine ad eundem codicem seu prothocollum, advertendum venit, quod ille dupliciter confici solet; Primò nempe per viam formalem registri, bene ordinati, quod scilicet Notarius, postquam se rogavit de actu, adnotato rogitu in manuali, seu bastardello, vel etiam in parva scheda, seu folio volanti, postea manu sua extendat formiter actum in codice ad id ordinato, cum rubrica seu adnotatione in principio; Illoque actu sequuto, illa originalis imbreviatura, lacerari, seu parvi pendii potest, ac solet, *dec. 349. p. 10. rec. dec. 402. p. 12. tit. de testam. disc. 65.* Ideòque si inter scripturas Notarii ad sit iste prothocollus bene tentus, beneque ordinatus, in quo reperiantur rogitus anteriores, & posteriores, non reperitur autem iste intermedius, qui inveniatur inter fasciculos vel filzas volantes, tunc magnum argumentum est, quod sit minuta seu scriptura preparatoria, super qua non fuerit sequuta stipulatio, seu perfectio rogitus, *dicto disc. 65 de testam.*

Altera species codicis vel prothocolli est, quod ipse originales scripture volantes, super quibus fiat rogitus, in simul conglutinantur seu uniantur ad honestum codicem efformandum, juxta stylum Notariorum Urbis, ac etiam Civitatis Neapolis, & fortè aliarum magnarum Civitatum; Ex ea con-

gru ratione, quæ saltem pro magis frequenti usu, in magnis Civitatibus verificatur, quod scilicet agitur ut plurimum de negotiis gravibus, vel etiam mediocribus, super quibus præordinantur minutæ benè in omnibus extensæ, quæ transeunt per manus Advocatorum & Procuratorum utriusque Partis, per quos oportuna clausulæ & cautelæ adjiciuntur; Et per consequens non intrat illa necessitas quæ dignosci videtur in Notariis Civitatum & locorum inferioris ordinis, quod scilicet, absque hac matura præordinatione, instrumenta pro majori parte, ex improvviso, atque currenti calamo, in schedulis, vel baslardellis, breviter adnotantur quoad substantiam, idèdque imbreviaturarum nomen seu vocabulum prodiit, postmodum verò domi fit extensum in prothocollo, ex quo, quando opus est, reassumitur instrumentum, quod Partibus tradendum est; Atque in hac specie verificatur superius insinuatum assumptum, quod originale matricis seu imbreviaturæ possunt, ac solent à Notario lacerrari vel parvipendi.

23 Inter istas autem species codicis, vel prothocolli, dignoscitur aliqua notabilis differentia, quoniam ubi agitur de prima specie, quæ redolet registrum formale, in libro, qui ab initio ad hunc effectum bene compositus & cum numeris abachalibus ordinatus est, & qui ipsorum instrumentorum seriem juxta temporum ordinem continet, cum continuatione, ad instar registorum Datarie, ut pleraque hujus speciei ego vidi, & præcavi, tunc non ita de facili datur illa falsitas, vel suppositio, quæ dari potest in alia specie codicis, qui constitutus est ex diversis matricibus diverso tempore, in diversis papyris, diversa signa vel diversas formas habentibus & cum diversitate characterum Luvenum, seu amanuensium, undè propterea nimium facilis est ablatio veræ matricis, alteram confictam, eius loco supponendo, in totidem paginis, quæ eundem numerum abachalem habeant, & per consequens minus tuta est fides; Istaque circumstantiæ, vel distinctiones, quando suspicio vigeat, præ oculis habendæ sunt, benè reflectendo ad qualitatem characteris, an sit recens, vel antiquum, ac etiam ad ipsam chartam, & filios confitura, cum similibus, pro facti qualitate; Et præsertim, circa majorem, vel minorem Notarii fidem, vel diligentiam, in hujusmodi prothocollo custodia; Verum id non respicit presentem inspectionem validitatis, ac perfectionis, sed potius alteram præcedentem falsitatis.

In his itaque matricibus, sive de una, sive de altera specie sint, non requiruntur omnes illæ solemnitates, quæ (ut in sequenti inspectione,) requiruntur in instrumento in publicam formam reassumpto, ut Partibus detur, sed sufficiunt substantialia superius insinuata; Nempè, testes in numero oportuno pro qualitate actus, vel respectivè pro locorum legibus, ac etiam clausula *Actum &c.* quæ sub diversis stylis, pro ditionum diversitate concipi solet, cum anno, mense, & die, qui apponi debent per extensum, non autem per breves abachales numeros vel cifras, Id enim damnatum est ob fraudes, ac faciles alterationes, quæ fieri possunt, l. 2. §. ne autem C. de veter. iur. enuclean. glos. in Const. Regni quæ incipit consuetudinem.

Atque in Regno Neapolitano, in illis instrumentis, quæ rogantur per Notarios Regios; Ultra testes, qui in actibus excedentibus valorem libræ auri, debent adesse ad minus tres litterati, in aliis verò minoris sumæ debent esse duo, Requiritur etiã interventus alterius personæ quæ dicitur Judex ad contractus qui Regia auctoritate ad hunc effectum

tantum absque alia jurisdictione vel existimatione fit creatus, undè propterea istud munus exercere solent personæ populares, & idiote, in quibus alia idoneitas desiderari non videtur, nisi illa, quod sciant legere & scribere. *Rovir. pragm. 2. de contract.* Videtur tamen quædam cautela non omninò inutilis, quoniam cum isti iudices creati non soleant, nisi prævia attestatione Communitatis loci, super eorum probitates ita efficiuntur quodammodo personæ publicæ & certæ, ac propterea non ita de facili sequi possunt falsitates ac suppositiones.

Non requiritur autem in huiusmodi originalibus, (juxta opinionem in praxi magis receptam) subscriptio, vel signum Notarii; Minusque subscriptio testium, nisi in casibus, in quibus per leges particulares, ita specialiter provisum sit; Ut (ex. gr.) habemus in Urbe per eius Statutum, dispositum in donationibus, in quibus requiritur subscriptio donatoris, ac duorum testium in ipsa originali matrice, cap. 149. ubi Fenzon. & dicto disc. 65. de testam. ac etiam in tit. de donation.

28 Commendabilis verò potius, quam damnabilis est aliquorum Notariorum stylus, (qui ex meo judicio, pro lege præcisa demandari deberet) subscribendi etiam matricis, ut ita certius dignoscatur, an illa scriptura contineat matricem perfectam, vel potius minutam, seu preparationem; Ideòque ad hunc stylum, est nimium reflectendum, quoniam quando ille esset uniformis, ac generalis, tunc defectus subscriptionis, certam induceret probationem, quod illa scriptura non esset matrix perfecta; sed minuta; Sed quando esset difformis, licet talis defectus non bene concluderet, adhuc tamen in nimia consideratione habendus esset, tanquam imperfectiois adminiculum, eod. disc. 65. de testam.

Si verò casus præbeat quod ille rogatus, non contineret dicta requisita substantialia, nempè, annum, mensem, diem, testes, & clausulam *Actum, &c.* Non semper tamen iste defectus imperfectioem concludit, quoniam pro facti qualitate, subintelligenda quandoque venit adnotatio eorumdem requisitorum, quæ contineantur in præcedenti instrumento, vel actu quando facti circumstantiæ id suadeant, quod scilicet ille secundus actus, sit præcedentis consequitivus, seu alias connexus, undè propterea dicendus veniat gestus, eadem die, in eodem loco, & coram eisdem testibus; *Bich. decis. 400. Cap. l. lat. consulti. 14. & 15.* Et in summa, totum pendet ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ac potissimum attentis locorum legibus, vel stylis; Et per consequens certa regula generalis desuper statui non potest.

Quo verò ad tertiam inspectionem super forma probante ipsius instrumenti extracti, seu reassumpti in publicam formam; Ultra superius insinuata requisita, quæ necessaria sunt in originali matrice, & quæ in instrumento exindè extracto sine dubio fortius adesse debent; Plura alia desiderari solent; Puta invocatio Divini nominis, initio præmittenda; Nec non, ultra annum, mensem, & diem, per extensum, non autem per numeros abachales, vel arithmeticos ut supra, requiruntur etiam; Indictio; Nomen Principis dominantis, cum enunciatione temporis suæ dominationis; Et subscriptio, ac signum Notarii. *seraphin. decis. 902. & sequ. Buratt. decis. 666. & 672. Cavaler. decis. 122.*

Super his autem, omnino certa, & generalis regula, cuiusque loco applicabilis, statui non potest, cum totum pendeat à singulorum locorum legibus, vel stylis, & præsertim circa requisitum copulativum, vel alternativum subscriptionis, & signi

signi Notarii, cum in plerisque partibus sit in usu utrumque, & in aliis sufficiat solum signum, quod sub se cortineat subscriptionem, ideoque dictis legibus, vel stylis deferendum erit; In Curia verò utrumque adhibetur, *Ubi supra, & præsertim Cavaler. dicta decis. 122.*

In Regno autem Neapolitano, ut instrumentum dicatur verè publicum, & in forma probanti, juxta illas leges particulares, requiritur quod à Notario scriptum sit in charta pergamenæ, seu de corio, cum eius signo, quod stare videtur loco subscriptionis, atque sit subscriptum, etiam per judicem ad contractus, & per tres testes literatos, id est scientes legere, & scribere, quando id quod in eo continetur importet ultra valorem libræ auri, juxta antiquam æstimationem, ad rationem ducatorum sex pro qualibet uncia, cum etiam hodiè retinetur in aliqua parte, & præsertim in dotibus, quæ constituantur per plebeos usus, qui antiquitus in omnibus contractibus, aliisque dispositionibus erat communis, atque magis retinetur in alio Regno Sicilia, ultra adhibendi terminum, seu vocabulum *unciarum* ad dictam rationem ducatorum sex pro qualibet; Ubi vero valor sit inferior, tunc ultra subscriptionem Judicis ad contractus, requiritur illa duorum testium, atque aliàs sine hac solemnitate instrumentum non dicitur in forma probante.

Verum quia, ista nimia solemnitas, ob absentiam, vel mortem testium, sive ex aliis accidentibus, magnas difficultates, ac sumptus parere solebat; Hinc proinde, ut facilitati commercii magis consultum esset, iste rigor de facto retinetur solum inter præsentem, & in eodem loco, ubi agatur de instrumento incusando, seu liquidando juxta formam ritus illius M. C. V. de qua particulariter agitur infra inter judicia summaria, & exequutiva; Pro reliquis autem judiciis, & præsertim pro illo, ubi adeo frequentis quod *Assistentia* dicitur, de quo pariter infra inter remedia, vel inter dicta possessoria, ab antiquo tempore inolevit usus præstandi fidem copiis authenticis, in simplici charta, quæ ibi *bombicina* vulgò dicitur, inter præsentem, sive intra duas dietas; Paulatim verò per totum regnum, ac etiam in ipsa Regia Civitate, eiusque Tribunalibus, in causis locorum Regni id est in usu; Adhuc tamen, quando de causis gravibus agatur, earumque principale, vel præcipuum fundamentum in illius instrumenti veritate, ac forma probanti consistat. Parte opponente, ad dictam formam probantem reducendum est; Maxime ubi sint mortui Notarius & testes; Idemque fortius ubi agatur de causis, quæ agitentur extra Regnum; Putà pro frequentiori contingentiâ in Curia Romana per appellationem ab Ordinariis locorum. *De dicta solemnitate rigorosa, eiusque moderatione, ut supra Franch. & add. dec. 141. Rovit. pragm. 1. de fid. instrum. Modern. contr. 32. & 38. & decis. 377. par. 11. rec.*

Potissimè, ut ego pluries in facti contingentia dicere consuevi, ac sustinui, quoniam in Curia non admittitur dictus usus Regni deferendi copiis habentibus solum attestationem Notarii extrahentis, dum de jure, copiarum non dicuntur instrumenta authentica, etiam si extracta sint ab eodem Notario rogato, multò minus si ab alio, quoniam Aliud est copia, & aliud est instrumentum publicum, atque eatenus copiis, quandoque deferri solet, quatenus agatur de factis antiquis; Atque fomentum sufficientium adnuculorum habeant. *Cavaler. decis.*

79. *Buratt. & add. decis. 243. 187. par. 5. rec. dec. 51. p. 9. rec. tit. de testam. disc. 66.*

Cumque in eo Regno Notarii Regii habeant solum in usu dandi dictas copias, non autem instrumenta nisi juxta dictam formam; Hinc proinde non habetur ille usus instrumentorum publicorum in charta ordinaria, & cum sola subscriptione & signo Notarii, ut in Curia, aliisque partibus in usu est.

Et quamvis aliqui crediderint, quod cum hæc forma proveniat ab illis legibus laicalibus, idcirco necessaria non sit in causis Ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum, quæ præsertim in Tribunalibus Curie Romanæ, vel in aliis fori ecclesiastici agantur, ratione exemptionis à dictis legibus; Attamen id continet æquivocum ab eadem Rota, elucidatum occasione legis inhabilitantis Notarios vassallos in instrumentis, quæ favorem vel ordium Baronum concernant. *Bich. decis. 23. & 91. Royas decis. 198. lib. 1. de feud. disc. 29.* Ex ea clara & convincenti ratione, quod scilicet leges laicales, non tollunt fidem instrumento, quod alias fide dignum esset, unde propterea suam faceret operationem cum personis ecclesiasticis non subditis, suum jus eis tollendo, sed adimunt fidem Notario eadem laicali auctoritate creato, ita declarando, quod non censetur sibi data potestas, nisi quatenus servetur forma præscripta.

Ad occurrendum itaque huic difficultati, pro causis extra Regnum, & præsertim in Curia tractandis, prudenter aliqui Notarii, illi præsertim qui in eadem Regia Civitate, majora & graviora negotia agere solent, curant obtinere quoque Apostolicam auctoritatem, & consequenter tanquam Notarii Apostolici, dant, seu conficiunt instrumenta pro foro ecclesiastico, eo modo quo de jure communi, & de stylo Curie sufficit; Ac etiam aliqui obtinent quoque auctoritatem Imperialem pro instrumentis deservientibus pro, rebus Italiae partibus, præsertim Lombardia, & Hetruriae, vel etiam extra Italiam, ne ita urgeat necessitas, quæ incumbit Notariis, qui Regia tantum auctoritate creati sint dictam formam servandi.

Procedunt hæc in instrumentis publicis, quæ cum debita forma, ut supra de jure communi, vel particulari respectivè extrahantur per ipsosmet Notarios rogatos, quorum respectu compulsoria, vel alia similis forma necessaria non est; Ubi verò agatur de reassumptione, vel extractione per alium, facta vel faciendâ, cum tunc majores intrent difficultates, seu requirantur solemnitates, idcirco agitur particulariter, *discursu sequenti.*

De legitima extractione faciendâ instrumentorum Notarii defuncti, aliorumque publicorum documentorum, seu actorum existentium in archivis, aliisque locis; Et tali occasione agitur de materia compulsoria.

Ac etiam, an & quando una Pars teneatur alteri edere eius jura, vel scripturas.

Et de materia productionis, vel repetitionis.

#### S V M M A R I V M.

**N**ecessaria non est compulsoria in instrumentis extractis ab ipso Notario rogato, vel successore.